

1772.

1. Friedenbury, Arnolphus Pro: De arboreis in porto
secundum § 307 transactionis provincialis Mecklenbur.
pro & feminis fructuariis non caedens.

2. Friedenbury, Arnolphus Pro: De lucro talis ordinis
ab secunda vota non auferendis.

1773.

Wulker, Karren Johanna: An et quantum successores
contractores ex constructione ab ipso celebrata per
et ab aliis ad eam acquirant?

1774.

1. Rinkard, Joseph Friedrich: Gedanken über die
Lernstunden der juristischen Studien auf Uni-
versitäten, welche derselbe zugleich seine im
Niederländischen Sommer-Vorlesungen angelegt

1774.

2. Brandenburg, Augustus Prinz: *Quæstiones juris am-
plicationis*
3. Brandenburg, Augustus Prinz: *legis demissione
actoris ejusque usum et applicacione in foro.*

1776.

1. Löwenstein, Nicolum Georgius Bernardus: *de bonis
cum publicatione in superiorum consequen-
tiam numeri certioria sublate*

2. Löwenstein, Nicolum Georgius Bernardus: *de vita
Ieprecessi in l. 22 pr. D. quod vi aut clau-*

3. Martinus, Joannes Matthias: *de sententia et de
iudicata ratione principis ac legis moralis*

1777.

1. Beckring, Petrus Antonius Wiedemann: *Ad l. 1. ex por-
alium causae appellacionem recte posse*

2. Laevius, Nizlaus Georgius Bernhardus: De sacrae
Vinei collateralem et feodo novo jure antiquo
concessis decursum ipsi communis et Mecklen-
burgicam iuste restituta.

3rd = Martinus, Iohann Matthaeus: Occasione Crönungs-
? Saepel.

1778.

1. Martinus, Iohann Matthaeus: Als die Academie zu
Beispiel der glücklichen Herrschaft des Durchlauchtig-
sten Fürstes "Frauen Lavire, Kugulin zu Mecklen-
burg . . . durch . . . yr helleste Roden feier-
n sollte, last ein . . .

2. Martinus, Iohann Matthaeus: Fierliche Rede
zu den bewahrfesten Glückseligkeit Mecklenburgs
an der öffnige seines Durchlauchtigsten Regenten
am 19. Juli 1778 an der Tore des beglückten

1. Herougoys des Durchlauchtigsten Fürstes & Frend 1
 2. Louise, Herzogin zu Mecklenburg u. den Körse 3
der Academie für Botzen gehalten
 3. Richard, h. R. : De restitutione in integrum, quae
1799. fit curi manu
- Anstorpus, Johannes Christianus : *Le feminis mercato*
ar 1781. 8 p. 2. Art. 1. Paris Hamburgensis 4.
- 1781.
1. Martinus, Johann Matthäus : Bey der Feier des
gleichen Herougoys des Durchlauchtigsten Fürstes
u. Fräulein Louise, Herzogin zu Mecklenburg, und 1
 2. auf den 12ten Mart. des Jahres 1781 zu Autun 1
einiges in der Stadtkirche gehaltenen Preches
... .
1. Martinus, Johannes Matthäus : *De jure et rea* 1781
votum M
3. .

Rund 1781.

Nörga 3 Martin, Joannes Matthaeus : De favore libe-
ratorum naturalium secundum principia reli-
quac
joris nostrae non ceteris multo minus
reato est adulterius et incertioris applicans.

H. Struveger, Friedrich Wilhelm : De raro metu
subornacionis in repetendo nomine testium.
Sect. I.

1782.

Pekin, Joannes Jacobus : In imperantibus exercitiis
et iuris circa sacra magistratice et consuetum clerici
- der Gründlichkeit - ist anzustellen?

1783

Martin, Joann. Matheus : De justicie causa in libenter
manu poenitentiarum

1767.

1. Neuenkampf, Dr. Ber.: *De morte loco paragiumand*
2. Wolff, Christopherus Augustus Hanover: *De obligacione
domini et cognati ei salvanda ex feudo vasalis
defuncti debita*

1768.

1. Martin, Jakobus Matthaeus: *Natus ex sponsa
successoris in feudo expers*
2. Preckel, James Jacobus: *De praerogativa noniusum
in latulio publico - den Stett.-Plandbrechen*

Pr. 189. num. 27.

1773

3

AN ET QVATENVS
SVCCESORES CONDVCTORIS
EX
CONDVCTIONE AB IPSO CELEBRATA
IVRA ET OBLIGATIONES
ACQVIRANT?

DISSERTATIO IVRIDICA IN AVGVRALIS

QVAM

IN ALMA FRIDERICIANA

QVAE BVETZOVII FLORET

EX DECRETO

ILLVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICAE
PRO SVMMIS IN IVRE HONORIBVS

PRIVILEGIIS OBTINENDIS

H. L. Q. C.


PVBLINE DEFENDET

HENRICVS IOANNES WALThER

ROSTOCHIENSIS

CANCELLARIAE DVCALIS ET FISCI CIVITATIS

ROSTOCHIENSIS PROCVRATOR.



BVETZOVII
ANNO MDCCCLXXIII. DIE XXX, DECEMBRIS.

ACCESSORES CONDACTORIS
VARA ET OBLIGATIONES

CONDACATIONE VE IPSO CERTERATA
DISCECTIO SCAVSSA MOLATISSIMA

VARA ET OBLIGATIONES
ACCURANTI

DISSECTATIO IARIDICU INVACULARIS

IN VERA HIBERNICINA

QVAE BALEXOAN FLORT

EX DECREELO

TIASTRIS LEGALITATIS IARIDICE

PRO SUMMIS IN TERRA HONORIBUS

PRIVILEGIIS OBTINENDIS

MRE


SABTICE DESENDEST

HEIRICAS IOANNES WALTHER

LOGOTYPUS INTEGRI

CARTULATATE DUCARIS ET TERRITATIS

LOGOTYPUS DUCARVATOR



anno MCCCLXII die XXII Decembris



INGRESSVS.

Sequentes paginæ continent quasi alteram partem dissertationis nostræ Anno 1766. die 4. Martii sub rubro: an et quatenus successores locatoris tam universales quam singulares ex locatione ab ipso celebrata teneantur, Rostochii Præside Consultissimo Domino Doctore Quistorpio, jam Antecelsore in hac alma longe celeberrimo habitæ. Jam dum in eo fuimus, ut promissum ibi datum pro viribus nostris servaremus. Sed tum tempus nobis hucusque defuit, tum aliae rationes domesticæ, quo minus huic obligationi satisfecerimus, nos impediverunt. Nunc autem cum, uti mos est, dissertationem inauguralem scribere

-A.Y.T

A

nos

nos op̄orteat, omnino ex re nostra esse duximus, de obli-
gatione insimulque de juribus successorum conductoris
ex contractu ab antecessore eorum inito pauca quædam
adferre, ad quod præcipue illa nos excitavit humanitas,
qua lector benevolus illas studiorum nostrorum primitias
aliquot abhinc annis exceptit. Notum satis est, thema il-
lud quod elegimus, non modo in praxi haud raro occur-
rere, sed etiam multis involutum esse dubiis. Operam
igitur in eo collocabimus, ut Doctorum opiniones secun-
dum normam Legum examinemus, et præsertim ad dubia
et argumenta, quibus illustris Vir Georg. Lud. Boehme-
rus in electis juris civilis et quidem in Exercitat. XI. de
jure circa conductionem, orto adversus conductorem
concursu creditorum, ad defendendam thesin suam val-
de singularem iusus est, respondeamus, eamque, quantum
in nobis erit, refutemus. Tu autem, L. B. cogites velim,
nos commentatiunculam tantum conscribere, hinc non
omnia tam diffuse tractare posse, prout quidem mate-
riae gravitas id poscere videtur.

Deus interim omnipotens conatus nostros felici sem-
per beat eventu.



A

TRA-

TRACTATIO.

§. I.

De distinctione successorum in universales et singulares.

Breve temporis spatium, quod nobis ad conscribendam hanc dissertationem superfluit, impedit, quo minus eundem ordinem, quo in tractanda materia de successoribus locatoris usi sumus, servare, et adhuc quaedam, que circa contractum conductionis notatu satis digna occurunt, praemittere possimus. Rem ipsam igitur statim aggredimur, et brevitatis studio nos conferimus ad ea, quae in dissertatione de successoribus locatoris et quidem Sect. IIa §. 15. et 16. exposuimus. Tota enim quaestio, de iuribus et obligationibus successorum conductoris ex contractu ab ipso celebrato, decidenda est, et dijudicanda ex differentia successorum universalium et singularium, quorum notiones ibi fundamenti loco praemissimus, usum practicum hujus distinctionis explicavimus, tandemque demonstravimus, successores universales, quippe qui in omnia jura antecessoris et pleno in locum ejus succedunt, ex factis illius quoque obligari, singulares autem, qui tantum jura rei alicui singulari adhaerentia acquirunt, ex factis et obligationibus personalibus, quae cum ipsa re ad quaecunque possessorem non transeunt, haud teneri. Hinc sponte fluit, successores conductoris universales contractum conductionis ab ipso celebratae per tempus in illo definitum continuare debere, at de singularibus contrarium esse afferendum. Quae quidem principia cum dispositione juris naturalis a) et positivi b) maxime congruunt.

a) Becker in diff. de indeo Contractus locacioni conductioni adjecti, assecurationis etc. §. 18. Coroll. I. §§. 28. 29. 30. ab eo unde

b) I. 9. 10. C. locat. conduct. in loco eiusdem cuiusque minima n. 2. inde

§. 2.

De haeredibus Conductoris.

His presuppositis facile erit determinatu, quinam sub nomine successorum conductoris universalium veniant, et quatenus illi ex e-

jus contractu jura et obligationes adquirant. Haeredes, per notoria
juris, titulo universalis succedunt, hinc obligationes defuncti tam rea-
les, quam personales adimplere, et conductionem tam rerum, quam
operarum ab ipso initam per tempus in contractu definitum conti-
nuare obligantur, e contra jus quoque illis competit, hujus contra-
ctus implementum a locatore exigendi. Probationi hujus assertionis
omnino supersedere possumus, legibus satis clare loquentibus a).

cup a) l. 19. §. 8. E. loc. cond. §. f. I. de locat. conduct.

*... in loco eiusdem conductoris in omnibus clausuris in
eiusdem conductoris mutatio loco sive tempore, in absentia eiusdem
michi usq[ue] conducti m[od]i. ¶ 3. ¶ 3. ¶ 3.*

Exceptiones quaedam a regula.

Sed audiamus exceptiones quasdam a regula. Locatio condu-
ctio ad beneplacitum contrahentium inita cum morte exspirat, nec
ad haeredes conductoris transit. a) In locatione rerum laepe etiam
id accidit, ut locator singularem conductoris curam in conservanda
re locata respiciat. Quando igitur sufficienter probari potest, per-
sonae industriam esse electam, et contractum ad personas contrahen-
tium esse restringum, haeres conductoris ex contractu defuncti nec
obligatur, nec jus adquirit, praesertim si palam fiat, illum male in
re conducta versari. b) Fac porro, haeredem fiduciarium condu-
ctionis contractum super re quadam haereditaria iniisse, ille fidei-
commissarium non obligabit, quippe qui in effectu haeres quidem
est, sed non haeres fiduciarii, cuius intuitus non ut successor univer-
salis, sed tantum singularis bona adquirit haereditaria. c) Notum
denique est, successorem locatoris singularem conductorem ejusque
haeredes ante tempus finitum expellere posse. Ex quo fluit, haere-
dibus conductoris itidem nullum jus, nullamque obligationem esse
adversus eum, in quem locator rem conductam titulo singulari trans-
fert. Pat enim contrahentium ubique esse debet conditio, nec con-
tractus locati conducti, quippe qui onerosus est, claudicare, sed potius
mutuo obligare utramque partem. d) Iniquum sane foret, si
locator integrum esset, re locata vendita a contractu recedere, con-
ductori autem tantumdem non licet. L. L. et analogiae juris igi-
tur omnino convenient, conductorem ejusque haeredes in casibus, in
quibus successor locatoris singularis locationiflare non tenetur, im-

pune

pune a contractu recedere posse. e) Sicuti autem in dissertationis prima parte ostendimus, successores singulares saepe locationem continuare debere, ita et in his casibus conductoris haeredes, qui hujus personam repreäsentant, illis quoque per tempus in contractu definitum obligati sunt. Quod quisque juris enim in alterum statuit, ut ipse eodem utatur, sunt clara verba l. I. ff. quod quisque juris etc.

- a) l. 4. ff. loc. cond.
b) l. 13. C. de contrah. stipulat. Titius in jure privato p. 483, §. 39.
c) Cocceji in jure controverso Tit. de locat. conduct. Lauterbach in Comp. jur. Tit. loc. cond.
d) l. 32. ff. loc. cond.
e) Mevius in Dec. P. V. dec. 29. Frisius in diff. de locatoris successore thes. 22.

§. 4.

Continuatio.

In dissertatione nostra in ingressu nominata casus illos expli-
cavimus, in quibus locator ipse conductorem ante tempus expellere potest. Liceat nobis, hic quaedam de iis asserere, in quibus conductor sive ejus haeredes a contractu impune resiliere possunt. Huc pertinent 1) omnes Caussae communes, quae pacta et contractus viti-
ant, nullitatemque pariunt insanabilem. Sic dolus a parte locatoris caussam contractui dans, error circa substantialia negotii, metus ju-
stus, per quem defunctus ad conductionem coactus fuit, haeredibus justam praebent caussam, a contractu recedendi, totumque plane ne-
gotium mediante quaerela nullitatis rescindendi. 2) Ob laesionem ultra dimidium, quippe quae in omnibus negotiis bonae fidei et con-
tractibus bilateralibus attenditur, haeredes conductoris intra triginta annos ad rescissionem contractus per conditionem ex l. 2. C. de resc.
eint. vendit. agere possunt. Hoc beneficium enim, nisi jam vivente defuncto exspiraverit, aut antecessor aliud quidquam fecerit, quod ipsum eodem indignum efficiat, omnino ad haeredes transit, a) quia hi omnibus juris remedii, quibus ipse defunctus contra factum suum nti poterat, gaudent. b) 3) Conductoris haeredes ante finitum tem-
pus impune discedere possunt, quoties usus promissus plate non

A 3

prae-



praestatur, vel intercipitur. c) Interest tamen utrum hoc factio
tertii, casu, vel culpa locatoris fiat, cum primo et secundo Casu mer-
ces tantum remittatur, tertio autem locator tantum praefare tenea-
tur, quanti conductoris interfuit. d) Sic conductoris haeredes
ob calamitatem belli, ob incendium, metum spectrorum, pestem,
cetera, intra tempus desumptum emigrare possunt. e)

a) Mevius in Dec. P. II. dec. 147.

b) I. 7. C. de agric. et censit.

c) Wernier in lectiss. Commentat. ad ff. L. XIX. Tit. II. §. 25.

d) I. 33. ff. loc. cond.

e) Collegium Argentorat, Tom. I. L. XIX. T. II. §. 15. et 21.

§. 5.

D e F i f c o.

Successoribus universalibus annumerandus porro est fiscus, qui
in bona alterius succedit vel ut haeres, vel jure proprio. a) Pri-
mus casus occurrit circa bona vacantia, et quando haereditas alicui
ut indigno auferitur. b) Secundus autem tunc adest, si fiscus bona
damnatorum ob delicta in L. expressa occupat. Tunc enim hae-
res quidem non est, quia ita delinqens indignus censetur, qui ha-
beat haeredem, attamen, ut successor in omnia bona, omnino obli-
gatur, quoniam delinqens peccando conditionem eorum, quibus-
cum contraxit, deteriorem facere non potest. c) Hinc sponte fluit,
fiscum ita succedentem ex conductione ab antecesore inita tam iura,
quam obligationes illius acquirere. d) Succedit enim plane in lo-
cum defuncti, haereditis indigni, et damnati, eorumque personas
repräsentat.

a) Böttcher in differt. de obligat. successoris Cap. II. §. 6. Cap.
VI. §. 6.

b) Nov. I. Cap. I. T. T. C. de his quae ut indign. C. C. C.
art. 218.

c) I. 155. ff. de R. J.

d) Lauterbach in Comp. Jur. p. 329.

§. 6.

7

proximorum ac proximis audientibus. **§. 6.** *De creditoribus Conductoris.*

Videamus nunc, quid juris sit circa conductionem, orto adversus conductorem concursu creditorum, et utrum hi titulo universali, vel singulari succedant, hinc conductionem aut continuare, aut rescindere possint et debeant? Nostro quidem iudicio probe sollicitaque examinanda et eruenda sunt principia, ex quibus haec questione est dijudicanda. His enim rite praesuppositis decisio inde justissima questionis propositae prono fuit alveo.

§. 7.

Quod continuatur.

Sunt, qui jura et obligationes creditorum Conductoris ex l. 8. ff. de rebus auct. jud. poss. derivare conantur, inter quos est Illustr. Leyserus a) exiffimans, jus creditoribus ex conductione merito esse tribuendum, tum quia hi in l. 8. §. I. ff. de reb. auct. jud. possid. locationem a debito factam servare jubentur, ideoque, ut ipsis quoque conductio servetur, aequum est, tum quod plene succedunt in locum et jura quaecunque conductoris. Sed posterior quidem ratio per infra dicenda sanis admodum congruit principiis; verum enim vero prior omni plane deslituitur fundamento. Lex enim citata, cuius explicationem jam in prima hujus dissertationis parte dedimus, loquitur de casu quodam singulari, qui nullam patitur extensionem, et ob diversam plane rationem ad creditores conductoris applicari nequit. In illa lege fermo tantum est de creditore in possessione praedii cuiusdam missio, et quidem non tantum ob contumaciam debitoris et custodiae causa, sed ob exequendum judicatum et debiti solutionem, quae missio trans fert quoque fructum perceptio nem in creditorem, donec debitum est solutum. Brunnemannus quidem, hanc legem tantum de missione ex primo decreto intelligendam esse, contendit, a) sed nostro quidem iudicio minus recte, prae sertim autem secundum praxin hodiernam hoc edictum praetoris, cessante plerumque missione ex primo decreto, ad immisionem nostram, quae species executionis est, erit applicandum. Minime au-

tem tunc allegandum, quando de creditoribus debitoris in complexu sumtis, vel concursu ab his excitato, vel cessione bonorum a debitorum facta, agitur, sed potius tantum in eo Casu, quando creditores unus aut plures non in omnia bona, sed tantum in fundum quendam singularem debitoris ab ipso locatum immittuntur et succedunt. Lex ergo nostra justam continet exceptionem ab ea juris regula, qua singularis successor locationem auctoris sui adimplere non tenetur. b) Patet enim, creditorem, in fundum quendam locarum sui debitoris immisum, titulo singulari succedere, sed tamen Praetor ex sola aequitate locationem a debitore bona fide factam servari et suslineri vult, ne auxilium juris, creditori ad exequendum debitum auctoritate judiciali impertierendum, in conductoris injuriam vergat, et ne immisio, quippe quae dominium in creditorem haud transfert, nisi salvo jure tertii fiat. c) Quac quidem suppeditata a nobis ratio genuino legis sensui conformior esse videtur, quam quo alii utuntur interpres, existimantes, omnes successores ex necessitate juris succedentes facta antecessoris praefare teneri. Hanc enim sententiam solidiori destitutam esse fundamento, nobis persuasum est, consentientibus nobiscum DD. quam plurimis. d.) Sicut autem in aequitate praetoria contra jus strictum creditoris immisii introducta, ratio legis nostrae unice quaerenda est, ita quoque haec exceptio a regula ultra casum exceptum minime extendenda, neque ad creditores locatoris, neque conductoris, in bona obaerati debitoris moto concursu succedentes, erit applicanda. Horum enim obligatio, uti iam monuimus, ex aliis plane principiis dijudicanda manet. Evidens quoque est, legis illius rationem profrus exulare in creditore, qui in bona quaedam conductoris immisus titulo singulari succedit. Immisio enim, cuius objectum sunt bona immobilia, ad debitorem jure dominii pertinentia, locum habere non potest respectu fundi cujusdam a debitore conducti, quare etiam aequitatis praetoriae rario ad conductoris creditorem immisum referri non potest. e)

a) in Comment. ad ff. et quidem ad l. 8. de rebus auct. iud. possid.

b) Carpzov. in jurispr. for. P. II. const. 37.

c) Brunneimann l. c.

d) Fries in diss. de locatoris successore thesi 12. sol. quia in vel

e) Georg. Lud. Boehmer. in elect. jur. civ. Exercit. XI. §. I.

§, 8.

§. 8.

leg., monosilique in multis. Dic enim debet haec leg., miris be
ni. dicitur et statim bus multasque rebus in officio ex missione reg
-nos autem omnes. Continuatio hujus materiae.

Nostrum quidem iudicio casus illi sunt distinguendi, in quibus creditores conductori vel titulo universali, vel singulari succedunt. Primum tunc obtinet, cum creditores aut concursum universalem excitant, et in possessionem omnium eridarii bonorum auctoritate judiciali mittuntur, aut debitor ad flebile cessionis beneficium se confert, et omnia omnino bona creditoribus suis relinquit. Ex quo sponte fluit, creditores ita succedentes et jura et obligationes ex conductione debitoris adquirere. Illustris Georg. Ludov. Boehmer a) contrarium quidem defendit, sed cum pace tanti Viri liceat nobis, rationes ibi adductas paullo penitus perpendere et sub censuram LL, et principiorum indubitatorum trahere.

a) in Elect, jur, civil, I. c. 1. ab analogia mundi et abhinc omnes
-cler. esse collabevimus et colligimus etiam antiquorum et modernorum
-libri potestum est. (b) subsum

§. 9.

De concursu a creditoribus moto.

Naturam et indolem concursus creditorum consideranti statim patet, illum esse titulum universalem. Sicuti enim mediante hoc aliquis omnia jura et obligationes antecessoris adquirit, ejusque personam repreäsentat a), ita etiam creditores moto concursu omnia omnino bona cum iuribus et obligationibus debitoris adquirunt, et plane in locum ejus succedunt, hinc quoque successorum universum nomine veniunt. Nostrum hic non est, accuratam concursus definitionem dare, et de vero illius initio multa adferre, cum alii de hac materia ex professo scripserint, ad quos lectorum benevolium remittimus. Tantum autem pro instituti ratione adjicere nobis liceat, descriptionem illam concursus ex argumento l. 15. pr. ff. de reb. auct. jud. possid. defuntam, secundum quam concursum, omnium creditorum immissione in possessionem omnium facultatum aut rerum debitoris vocant, fundamento haud esse desitutam. Quando enim creditores per actum concursus preparatorium, edictalem nempe citationem, convocati, et demonstrata bonorum insufficientia, vel

B

ad eo-

ad eorum, vel ad debitoris ipsis instantiam et supplicationem, vel per judicem ex officio interdum procedentem auctoritate judiciali in postfissionem totius massa debitricis immittuntur, tunc verus concursus formaliter talis adeft, et curator bonis ita occupatis a judice datur. Per hanc missiōnem in bona debitoris obaerati flatim judicium universale constituitur, quod universales quoque prodiit esse-
tus. Operatur enim universalem inter creditores communione bonorum cridarii, omnia jura tam activa, quam passiva in illos transeunt, actione personali quoque contra debitoris debitorem experientur, omnis plane dispositio et administratio circa bona ita occupata cridario est interdicta, et creditores in complexu sumti omnes dominii effectus sibi arrogant, quibus debitor communis ante concursum excitatum gaudebat. c) Omnia haec principia cum L.L., communi D.D. opinione, et praxi universali convenient, hinc ulteriori probatione haud indigent. Rechte ergo dici potest, creditores moto concursu in locum plane debitoris succedere, personam ejus repraesentare, et propterea inter successores universales esse referendos. d)

a) diss. nostra: an et quatenus success. locat. etc. Sect. IIIda §§. 15. 16.

b) Jll. Leyserus in Medit. ad ff. Spec. 478. Med. 3. 4. 5. Consul-
tiss. Dnus Dr. Burgmann, quem urbs et amicitia nobiscum a te-
nera conjunxit actate in diss. inaug. de exordio concursus,

c) Mevius in Dec. P. III. dec. 329.

d) Leyser I, c. Spec. 220. Medit. 6.

§. IO.

Argumenta Boehmeri eorumque refutatio.

Illustris Boehmerus autem, posthabitibus omnibus his rationibus, l.c. §. 4. et 6. pro aris et focus defendit, missiōnem creditorum orto concursu in bona debitoris pro successione universali habendam non esse. Audiamns illum, has addentem asserto suo rationes. Solemnis, inquit, apud antiquos celebrata per universitatem successio, bonorum videlicet emtio, a Justiniano dudum sublata est. Missio autem creditorum jure novo introducta, non nisi in pignore praetorio, et quod eius consequens est, in facultate distrahendi consilist. Qui autem bona

II

bona pignoris jure tenet, utique jure singulari possidet. Sed si quod
ego quidem video, paululum a recto aberrat. Vir alias acutissimus
laudeque mea longe major. Missio enim, de qua Defensor illustris
hujus singularis opinionis loquitur, certe illa non est, quae, exci-
tato adversus debitorem concursu creditorum universalis, a judice de-
cernitur, sed potius ea, quae vel judicati exequendi caussa, vel ad
contumaciam in non veniendo coercendam, vel ob denegatain cau-
tionis praefationem in actione de domino infecto, vel rei servanda
gratia fieri solebat a praetore. Missio ex prima caussa pignus judi-
ciale conjunctum cum jure in re et possessione, nec minus cum facul-
tate distrahendi tribuit, ex secunda, tertia et quarta caussa autem pi-
gnus involvit praetorium, quod regulariter tantum connexum erat
cum nuda detentione absque facultate distrahendi, ita ut missus tan-
tum ut custos, aut sequester in fundum veniebat, nec possessio, nec
fructuum perceptio in illum transibat. a) Omnes omnino L. L.
ab Illustri Boehmero l. c. allegatae hoc satis confirmant, et probe
adhuc notandum est, has missiones praetorias jure veteri Pandectarum
in universa quidem bona factas esse, sed jure novo tantum
pro ratione debitae quantitatis decerni. b) E contra autem mani-
festi juris et extra omne dubium positum est, illam, quam nos in-
nuimus, missione in omnia omnino bona debitoris obaerati plus
quam nudam detentionem aut facultatem distrahendi efficere, et cre-
ditores per eandem certissime liberam disponendi facultatem de sub-
stantia, totius massae concursus, quatenus debitori ipsi non fuit interdicta,
nec non omnes effectus veri dominii, una cum omnibus ju-
ribus ex actionibus credarii sibi adquirere. (§. 9.) Quare, minorem
argumenti Boehmeriani haud satis probatam esse, contendimus, hinc
quoque thesin, creditores nempe moto concursu jure singulari suc-
cedere, atque ideo conductioni debitorisflare non teneri, correre,
et opinionem nostram legibus magis esse corformem, nobis persua-
sum habemus. Audiamus adhuc verba praeclera pr. J. de successo
fublat. Cum extraordinariis iudiciis posteritas usq; est; ideo cum
ipsis ordinariis iudiciis etiam bonorum venditiones expiraverunt, et
tantummodo creditoribus datur, officio iudicis bona possidere, et
prout utile eis visum est, ea disponere. Quid clarius, quid
distinctius esse potest hac lego, et quid inde aliud sequitur, quam
quod creditores auctoritate judiciali in possessionem debitoris bono-

rum missi non pignore praetorio solum gaudent, sed potius ut
dominis licet, libere, prout utile eis visum est, de bonis illius di-
sponere valeant?

a) Iust. Henr. Bochmer, in Jarrod, ad ff. P. II. Lib. XX. T. I. §. 2.
L. XXXIX. Tit. II. L. XLII. Tit. IV.

b) L. 1. ff. quib. ex causs. in poss. Nov. 53. cap. 4. auth. et qui jurat,
C. de bonis autib. jud. poss. Brunnemannus ad 1. 1. ff. quibus
estimatur ex causs.

§. II.

Continuatio hujus materiae.

Secundum Bochmetum nostrum, cessante obligatione credito-
rum conductoris moto concursu ad conductionem contiriandam;
cessat quoque jus eorum, invito locatore in conductione perseve-
randi. Ex missione tamen, inquit, in bona debitoris facta hoc jus
illis non competit, quia praetor ea tantum bona intelligit, que a
creditoribus possideri et ab illis distrahi possunt. Haec facultas au-
tem in bona aliena, debitori obaerato in conductionem data, cadere
nequit. Sed, quod iterum pace tanti Viri dictum sit, creditores
moto concursu non secundum praetoris mentem in ea tantum bona
debitoris succedunt, quae vendi possunt, sed etiam omnia jura et
actiones, descendentes tam ex iure in re, quam ad rem acquirunt, hinc
conductionem a debitore ante motum concursum bona fide initiati
suo et proprio iure continuare possunt. Omnia enim, quae debitor
ante concursum abaque fraude egit, valida et rata sunt. Notum
potto est, leges saepius tertium quandam ex contractu ab altero ini-
to obligare, et hanc personam fictione juris illum, qui principaliter
contraxit, repraefentare, hinc quoque in iura et obligationes
illius succedere. Creditores autem in concurso conjunctim suunti
pro una persona fictione juris tali cum cridario habentur, propte-
reaque iura et obligationes illius plenissime in se suscipiunt. b) Fluit
ex his omnibus prono alveo, creditores conductoris locatorem ad
id cogere non posse, ut nomen suum inter creditores reliquos pro-
ficiatur, et incedens residuum cum interesse ex concurso petat, sed
uti obligati sunt, locatorem id postulante, in conductione usque ad
tempus

tempus in contractu determinatum manere, ita locator conductionis per administratores continuatae fese opponere haud potest.

a) Leyser Spec. 494, Medit. 8. 10.

b) Nettelbladt in syst. jur. posit. T. I. Tit. XII. §. 142, seqq.

Struv. in syntagm. jur. civ. Exercit. 20. §. 5.

L. I. ff. de exerc. act. pr. J. quod cum eo, qui in alia potest,

§. 12.

De cessione bonorum, et utrum illa sit titulus universalis, an singularis.

Magnum dubium adhuc movet Boehmerus noster eo in casu, quo creditores, mediante cessione bonorum a debitore facta, in bona debitoris succedunt, hanc bonorum cessionem quoque titulum singularis esse existimans. Quod vero assertum, aequo ac illud, de misericordia in bona debitoris obaerati, non adprobant leges, potius contrarium ex notione et indole hujus beneficij juris rite praesupposita clarissime apparebit.

Cessio bonorum ad mitigandum ius vetus Romanorum et L. L. XII. tabularum, quae rigidissimas in debitores obaeratos statuebant penas, a Justiniano per legem Julianam 4. C. qui bon. ced. poss. est introducta. Secundum multorum opinionem hoc beneficio tantum gaudent, qui merito casu fortuito bonis lapsi sunt. a) Sed Leyserus b) ex iure justinianno defendere fluet, illud omnibus creditoribus, etiam culpa sua et prodigalitate ad inopiam redactis, competere, cum l. 6. C. qui bon. ced. poss. de cessione ex qualibet causa facienda loquatur. Num recte, ali videt. Sufficiat nobis, statuta plerarumque provinciarum et locorum eos solum ad cessionem bonorum admittere, qui propter fortinam adversam in statum insolventiae inciderunt, eos autem, qui dolo, supina negligentia, et vita luxuriosa bona sua dilapidarunt, gravissimis sat plectere poenis. c) Est autem cessio bonorum, ad quam debitor obaeratus querelis creditorum particularibus persecutus tandem confugit, actus, quo ille omnia sua bona, nihil plane sibi reservato, ingenua bonorum professione et omnimoda resignatione creditoribus suis offerit, et per

hoc carceris squalorem aliaque incommoda graviora evitat. d) Ha
universitate bonorum cessa, creditores in complexu sumti omnia omni
no jura, quae debitor communis habuit, cum dominii, licet certo
respectu revocabilis exercitio consequuntur, concursus universalis ad
est, et effectus ejus supra recensiti sponte sequuntur. Nullum hinc
superest dubium, quis creditores successores fiant universales debit
oris, qui sponte se facultatibus suis abdicavit. Praeclara admodum est
decisio Illustris Meyii e) dicentis: creditores post excitatum concur
sum et factam bonorum cessionem eodem jure dominii uti, quo uti
potuit cedens; quod per cessionem bonorum omnia jura active et pas
tive transeant ad creditores, iisque inde licentia sit, iisdem utendi, non
secus ac cedenti licuit, et non pro singularibus, sed universalibus
successoribus illi debeantur haberri, in quos cessio idem jus transfert,
quod in haeredem haereditas. Paria enim haec habentur, an quis
moriatur et haereses relinquat, an bonis cedat. In utraque specie
eadem ratio habetur, inde idem jus nascitur. His ita se habentib
us, sponte sequitur, creditores, cessione facta universitati bonorum
debitoris incumbentes, instar haereditum omnia jura et obligationes ex
conductione debitoris nancisci.

- a) Huber. in paelect. jur. civ. Tit. de bonor. cess. §. 3.
- b) Leyser. Spec. 474. Méd. 1. 2. 3. 4. 5.
- c) Die Mecklenb. Hoff- und Land.Gerichts.Ordnung, P. II. Tit. 45.
Die Rostockse. Falliten.Ordnung.
- d) Beierus in diss. Jen. habita, de cessione bonorum. Thesi XI.
- e) in Dec. P. III. dec. 329. P. V. dec. 343. n. 3. P. VI. dec. 241.
n. I. T. T. C. de curat. bon. dand.

§. 13.

Argumenta Bohmeriana, eorumque refutatio.

Quid autem Bohmerus nositer? Creditores, inquit, in quorum
gratiam universitas bonorum ceditur, non ejus sunt successores uni
versales. Hoc cessio enim haud imitatur solemnum illam in jure ces
sionem, qua effici posset, ut per eam dominium, juraque omnia,
qua debitori in bonis competunt, in creditores transferrentur. Sed

pace

Pace Viri illustris sit dictum, nostrum juris beneficium omnino imitari mihi videtur veterem illam cessionem. Uti enim quævis alia cessio, sic quoque ea, qua debitor obaeratus utebatur, solemnibus verbis jure romano antiquo fieri debebat. a) Nihil autem circa naturam et effectus hujus cessionis, sed solummodo circa modum et formatum iure novo Justiniane immutatum est, ita ut hodie, scrupulositate priorum legum explosa, in omni cessione sola sufficiat voluntatis professio sive in jure, sive extra jus facta. b) De cætero cessio bonorum intuitu creditorum tales productus effectus, qui successori singulari competere haud possunt. Possessio enim plena omnium bonorum tam naturalis quam civilis in illos transfertur, jus iis est, bona debitoris conquirendi et vindicandi, contra cedentis debitores tam personaliter, quam realiter agunt; et tandem bona cessa non debitoris, sed eorum nomine distrahant, proutque inde legitime redactum inter se pro rata et secundum prioritatem debiti dividunt. c) Hos effectus successio singularis minime tribuit, sed per ea quis jura tantum rei cuidam singulari adhaerentia acquirit. d) Nec obstant leges, e.) quas Illustris Boehmerus pro defendenda sententia sua adducit. Quid enim ex illis sequitur? Nil, nisi quod creditoribus interdicatur, bona cessa privata auctoritate dividere, absque venditione publica jure dominii illa detinere, et huic vel alteri creditorum addicere, quia debitori usque ad venditionem bonorum facultas competit, soluta tota massa debiti quoad fortis et usuras, bona sua recuperandi, et subhaftationem impediendi. Ex hac legum dispositione recte concludimus, huic vel alteri creditorum dominium bonorum cessorum haud competere, creditoribus autem in complexu summis illud, licet a debitore usque ad venditionem revocari possit, haud esse denegandum, quid quod illis omnes effectus dominii et successio universalis circa administrationem, curiam, conservationem et tandem venditionem legitimam universitatis ipsis cæsæ tribuendos, et debitori omnem omnino facultatem disponendi admittam esse. f) Nec obstat aliud ab illustr. Boehmero prolatum argumentum, cessionem nempe bonorum ad sola debitoris bona pertinere, quae venire et distrahi possunt, non vero ad bona ipsi in conductionem data. Hoc enim quam maxime fallit, cum vox: *bonorum, hic non solum bona immobilia, aut mobilia, sed etiam actiones et jura personalia, quae eodem modo, ut alia bona, ad patrimonium et universitatem debitoris pertinere dicuntur, comprehendat.* Fluit inde, commoditatem et

jus

ius, fructus ex re quadam aliena et alienari prohibita percipiendi, omnino per cessionem bonorum universalem et juris competentis plene abdicativam in creditores transferri posse. g) Cujus theleos veritas exinde magis adhuc elucescit, quod ususfructus, quippe qui ad debitorem bonis cedentem jure personalissimo pertinet, et ne ad hæredes quidem transmittitur, tamen quoad facultatem, fructus etiam futurorum annorum ex re tali aliena ad usumfructum concessa percipiendi, ad creditores in bonis cessis succedentes transeat. h) Idem quoque, quod de ususfructu dictum, valet etiam de feudo, emphyteusi, aliisque rebus, quae a debitorie alienari non possunt, quarum usus tamdiu concedendus est creditoribus, quamdiu penes debitorem cedentem manere potuerint. i) Nullum igitur dubium est, quin jus, percipiendi fructus ex re debitori in conductionem data, per tempus in contractu definitum ad creditores, cessione bonorum facta, perveniat, hinc quoque obligatio ad contractum continuandum illos maneat. Locatio et conductio enim ad hæredes transit, et creditores, concursu aut ad eorum instantiam, aut cessione bonorum a debitorio facta excitato, instar hæredum habentur, et titulo succedunt universaliter.

Accedit his omnibus, cum cessione bonorum hodierna plerumque dationem in solutum omnium bonorum esse conjunctam, et creditores in praxi ita sibi prospicere, ut debitorem se omnibus juribus omnino abdicare ipsiusque dominium plenum et irrevocabile relinquere, current. Lex autem 4. C. qui bon. ced. poss. in fine clarissimis verbis ita disponit: quod si non bonis debitorem cessisse, sed res suas in solutum tibi dedisse monstretur, praeses provincie poterit de proprietate tibi accommodare notionem. Omni igitur dubio caret, per cessionem talem plene abdicativam et cum datione omnium bonorum in solutum conjunctam dominium plenum et irrevocabile intuitu earum rerum, quas debitor illo jure tenuit, cum facultate utendi fruendi et libere de massa concursus disponendi ad creditores transfire.

a) Gothofred. ad I. 6. C. qui bon. ced. poss. Wernher in enunciat. fori hodierni V. I. p. 37.

b) I. 9. ff. de cess. bon. I. 6. C. qui bon. ced. poss.

c) Collégium Argent. P. II. p. 1383. §. 15.

d) Diss. nostra de success. locat. Sect. II. §. §. 15. 16.

e) I. 3. ff. de cess. bonar. I. 2. 3. 4. C. qui bonis ced. poss.

f) Hell-

- f) Hellfeldt in jurispr. forensi P. II. p. 1272. §. 1813.
 g) Beierus in diss. de cess. bon. thes. 39.
 h) Struv. in syntagm. jur. feud. Cap. XII. aphor. 7.
 i) Coll. argent. l. c. p. 1375—76. §. 9.

§. 14.

De creditoribus conductori bonorum domaniarum succedentibus.

Supereft, ut antequam huic materiae finem imponamus, paucis adhuc eam examinemus quaefionem, utrum conductor bonorum domaniarum ius et obligationem ex contractu aequa, ut aliis quisque, ad creditores fuos moto concursu transferat? Illuftris Boehmerus, uti quidem facile intellectu eft, negative respondet, nobis autem vi principiorum supra adductorum contrarium merito magis arridet. Eft enim notoriij juris, ficum in negotiis privatis jure privatorum uti, a) niſi per leges exprefſe ſingulare quid introductum fit. Nullibi autem in caſu proposito exceptions a regula invenimus. Conduſio domanio-rum omnino ad haeredes tranfit, et per confequens etiam ad conductoris creditores jure universali ſuccedentes, qui inſtar haeredum ha- bentur. (§. 12.) Liquet porro ex T. T. C. de locat. praed. fiscal. et ex l. un. C. de conduct. praed. fiftalium, Imperatorem in his cauſis jure communii et privatorum uti velle, nec ſibi ipſi, nec talium praediorum conductorib⁹ quasdam conſtituiſſe praerogativas, exceptis iis, quod talis conductor ab emtore expelli nequeat, b) jure protimileos gaudeat, c) e contra invitus quoque cogi queat, ad locationem tem- pore elapſo continuandam, ſi maximos fructus ex re locata percepe- rit, et res pro tanta mercede poſtea locari haud poſſit. d) Nec obſtant rationes et leges a defenſore illuſtri hujus theſeos adductae. L. IO. §. I. ff. de vteſigalibus, ſingulare quid haud diſponit. Ut enim taceamus, in illa de publicaniis et vteſigalibus, peculiari aliquo et proprio fifti debito, quod privilegiatum eft, non autem de tali, quod ex contra- ctu naſcitur, fermoneſi eſſe, notum eft, quemcunque locatorem, penſione et mercede non ſoluta, neccundum etiam tempore contractus completo conductorē expellere poſſe. De quo caſu autem hic non loquimur. Idem obſervandum circa l. 3. C. de fundis rei privatæ, a

C

Boeh-

Bachmero nostro citatam. Ibi enim similiter agitur de fundis et bonis, quae alicui sub lege tributi, annuae pensionis aut canonis, jure dominii utilis aut in emphyteusin data et addicta sunt. e) Quoniam autem talia debita, qualia sunt tributum, vectigal, etc. quibus publica subsistit necessitas, et quae jure fisci proprio habentur, privilegiata sunt, f) ita hoc ad simplicem mercedem, summo Imperanti aut camerae ejus a conductoribus bonorum cameralium, domanialium, fiscalium competentem, applicari nequit, cum circa hanc jus commune et privatorum obtineat.

- a) I. 6. ff. de jur. fisci. I. un. C. de cond. praed. fiscal.
- b) I. 3. C. de mancip. et col. patr. I. f. ff. de jur. fisci.
- c) I. 4. C. de loc. praed. civ.
- d) I. II. §. f. ff. de publican.
- e) Brunnemann ad I. 2. C. de fund. rei priv.
- f) Mevius P. I. dec. 106, et 107, P. VII. dec. 224.

§. 15.

Quod continuatur.

In quaestione igitur nostra decidenda ille casus semper praeponendus, quo conductor pensionem et mercedem iusto tempore solverit, alius autem debitibus maxime sit obnoxius, ita ut aut bonis ipsi cedendum sit, aut ad instantiam creditorum concursus excitetur. Tunc pecunia assecurationis, (vulgo der Verschuss) ad illos jure dominii pervenit, et quando, securitate ita praesita, mercedem justam et contratu definitam solvere parati sunt, omnino jus illis competit, in conductione bonorum domanialium permanendi, sicut etiam conductio nem hanc, summo imperante aut camera id postulante, continuare tenentur. Praxi nostra Megapolensi id maxime confirmatur. Exemplum adducere licet unicum, quod nobis occurrit. Post obitum beati praefecti Baumgart, qui praedium Stridorff a Camera Ducali conduxerat, haeredes ejus per aliquot quidem annos contractum continuabant, tandem autem, concursu a creditoribus defuncti excitato, praedium conductum per curatorem bonorum rite admisistrari curabant,

bant, omnia ex contractu emolumenta nancisebantur, et mercedem contractu definitam camerae proprio nomine solvebant, donec cum hujus consensu, cessione in tertium facta, a nexu contractus se liberabant et pro jure, illis ex tempore contractus nondum elapsi competente, certam adhuc pecuniae summam (Absands-Gelb) a novo conductore cessionario accipiebant. Hoc exemplum nostro quidem judicio rem satis illustrabit. Nec movet nos ratio illustris Boehmeri in fine exercitatio-
nis saepe citata adducta, in conductionibus nempe domaniorum ple-
rumque personae qualitatem et industria respici, et juris esse, si tale
quid conductum sit, quod personae cohaeret, nec per alium commode
explicari possit, conductionem ne quidem ad haeredes tranfire. Sed
cum toto die videamus, conductionem domaniorum ab haeredibus
suo jure continuari, fluit inde, regulariter personae industria haud
esse electam, nec talem contractum personae necessario cohaerere,
potius hoc irregulare quid et facti esse, hinc expressis verbis a locatore
declarari et ita probari debere. a) Probatione autem peracta, nullum
singulare conductionis domanialis adest, sed idem illud obtinet, quod
in omni alio casu accedit, ubi personae industria electa est, nempe
contractus nec ad haeredes, nec ad creditores jure universalis succedentes
transit. (§. 3.)

a) Leyser in Med. ad ff. Spec. 220. Medit. 10.

§. 16.

Finis materiae de successoribus conductoris universalibus.

Haec sufficient pro instituti ratione de successoribus conductoris universalibus. Paucis adhuc moneamus, creditores moto concursu
jus quidem et obligationem ex contractu debitoris obaerati adquirere,
sed quoque ob easdem causas, quas supra §. 3. et 4. explicavimus, a
conductione recedere posse, sicuti in omnibus casibus, in quibus lo-
catori aduersus conductorem suum id licuit, illius ejusque successorum
singularium expulsioni ante tempus finitum sunt obnoxii.

§. 17.

§. 17.

De successoribus conductoris singularibus.

Nunc nostrum esset, de successoribus conductoris singularibus, quatenus hi aut ex contractu illius iura et obligationes adquirant, aut non, quaedam adhuc in medium proferre. Sed cum fere nullus detur casus, in quo aliquis conductori in re conducta, aut in jure, fructus ex hac re percipiendi, absque consensu locatoris jure singulari succedit, quaestioni illi penitus superfedere possumus. Impossibile enim est, aliquem titulo emti, aut crediti, mediante immissione, adjudicatione, aut datione in solutum rem conductam, ut rem alienam & ad conductorum jure dominii haud pertinentem, adquirere posse. Subconductor quidem tanquam successor singularis posset considerari. Sed cum contractus inter hunc & sublocatorem unice ad continuationem conductoris sub iisdem conditionibus & legibus intuitu locatoris principalis tendat, & hic non obstante sublocatione conductorem suum primarium sibi principaliter obligatum habeat, illa juris nostri doctrina, successorum neimpe singularem contractui antecessoris flare non debere, in hoc casu applicanda non erit. Idem obtinet in cessione plenaria totius contractus. Haec enim, per quam conductor ab omni contractus nexu liberari vult, absque consensu locatoris fieri nequit, et ridiculum fane foret, adhuc quaerere, utrum cessionarius, ut successor singularis, conductioni flare teneatur.

Ponamus tandem casum, conductorem praedii rustici alicui legasse totum inventarium cum omnibus fructibus extantibus sub ea conditione, ut contractum usque ad tempus finitum continuet. Tunc quidem hic ad consequendum legatum, licet successor sit singularis, conditionem implere tenetur, sed nullum jus contra locatorum ipsis nascitur, quod invito illo in neminem, qui succedit jure singulari, absolute transferri potest. Hinc locator legatarium talem omnino expellere, ab haeredibus institutis autem, si malit, continuationem contractus poscere potest; nec legatum illud ob interesse locatoris evidens, cui jam pignus tacitum antiquius respective in inventis et illatis itemque in fructibus secundum qualitatem rei conductae competit, effe-

effectum habebit, sed locator, demonstrato suo interesse, per interventionem sibi omnino prospiciet.

En! lector benevole, quae tecum pro viribus nostris communicare voluimus. Si quid in iis minus recte inveneris, placidae benevolaeque correctioni lubenter nos submittimus, publice profientes, has paginas non animo gloriandi, aut infelici conatu, laudi illustris Boehmeri, Viri de republica litteraria et foro summe meriti, cui in explicandis applicandisque L. L. infimi sumus, aliquid subtrahendi, sed unice ad veritatem magis magisque eruendam scriptas esse et corroborandam.


TANTUM.




13
...neviscius resq. efficiens cui etiam nomen potest hab. nubes in modis
...sepiusq. omnino idem manet

...innotescit qd. inq. nubes tamq. elevatis rotat: et qd.
...elevatis videntur, etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq.
...etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq.
...etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq.
...etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq.
...etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq.
...etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq.
...etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq.
...etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq.
...etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq. etiamq.

MUTIAT



(X225 7028)



Farbkarte #13



B.I.G.

Black

Pr. 1820. m. 27. 1773 3

AN ET QVATENVS
SVCCESORES CONDVCTORIS

EX
CONDVCTIONE AB IPSO CELEBRATA
IVRA ET OBLIGATIONES
ACQVIRANT?

DISSERTATIO IVRIDICA IN AVGVRALIS

P. 719
IN ALMA FRIDERICIANA
QVAE BVETZOVII FLORET
EX DECRETO
ILLVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICAE
PRO SVMMIS IN IVRE HONORIBVS
ET
PRIVILEGIIS OBTINENDIS

H. L. Q. C.

PVBLINE DEFENDET

HENRICVS IOANNES WALther

ROSTOCHIENSIS

CANCELLARIAE DVCALIS ET FISCI CIVITATIS

ROSTOCHIENSIS PROCYRATOR.



BVETZOVII
ANNO MDCCCLXXIII. DIE XXX. DECEMBRIS.

